

A tionem Sophistis relinquamus, qui sub aliorum nomine, & autoritate tecti suam produnt inscientiam. Cæterum pronuncianda sunt omnia non ad apparatus, nec ad ostentationem, vel ad uictoriam, quæ à nobis dicuntur in consultationibus, quemadmodum multos ambitiosos, vel etiam perversos medicos facere videmus, qui hæc diligenter obseruant, ut ab adstantibus gratiam captent, sed ad decorum, vtilitatemque ægri cum summa modestia, & humanitate, non tremula uoce, non feridenti, aut elata, qua vel ignorantiam; & docendi imperitiam, aut superbiam, ostendamus, sed firma, & moderata cum quadam grauitate: ex quibus rebus medicæ artis antiqua fama, & autoritas apud omnes retinetur. Hæc habui studiosi iuuenes, quæ de consultandi ratione in tantis alijs rebus, & grauioribus studijs occupatus breuiter vobis traderem, & conscriberem. Quæ vtinam uobis prodesse, vestrisque studijs, (vt opro) ornamento esse possint. Quod vt commodius fiat, pateatque vniuersa consultandi ratio, exemplum subiiciam, in quo omnes illius partes certo quodam dicendi filo coniunctæ apparebunt, facileque ad alia trahi poterunt ab his qui non oscitanter ea, quæ hactenus tradidimus, & hæc quæ sequuntur, simul legerit.

Exemplum sumptum ex pleuritide.

D VBITAVI aliquamdiu quo exemplo vti deberem in hoc instituto. Nam si aliquis poneretur aliquo morbo, vel symptomate ex certis causis correptus; non videretur res posse doceri in eo, quod forte nulli alteri vnquam accideret; nec poterant methodo tractari, quæ ad propositum exemplum pertinerent, ut quæ ex suo genere, & communi sua tractatione nequaquam ducerentur. Veluti si quis fingeret hominem adolescentem, gracilem, biliosum, media hyeme tertiana notha correptum; haberet certe quod diceret in hoc casu. Verum deesset quod ad omnes tertianas, omnesque ætates habitusque corporis & anni tempora trahi posset. Nec in hoc exemplo causæ, signa, symptomata, remedia, victusque ratio posset intelligi, propterea quod hæc ex generali ratione, & natura tertianæ nascuntur, quibus non explicatis, hæc quoque ignorari necesse est. Quod si affectus aliquis communis proponeretur, vt febris putrida, non videbatur id ad nostrum institutum pertinere, in quo lectorem exercere volumus particulatim, quæ generatim ars ipsa hactenus docuit. Non enim quid febris putrida postulet, aut quas habeat causas, uel signa, aut differentias, aut qualis illius sit natura, quæri in consultationibus dicit quispiam; sed quid habeat huius, aut alterius febris, quidque singulis conueniat à medicis peti, adeo vt de singulis exempla poni debeant; quod quum fieri nequeat, nec etiam probari possit aliorum institutum, qui in explicatione eius, quod commune est, duntaxat uersari volunt, satius esse duximus vtrique satisfacere, atque imprimis affectum vnum proponere, de quo generatim dicamus, ex eoque postea particularia exempla nonnulla elicere. Nam & aliquando de eo, quod est commune, consultationes instituantur; adeo vt perfecta nequeat esse tractatio, si eo prætermissa rem ad singularia contrahamus; siquidem grassante aliquo morbo ab incolis petitur ratio, qua imminens malum præcaueri, aut iam præsens abigi valeat. Ex qua quidem ratione quid singulis expediat, qui medicinam illis in locis faciunt, colligunt. Petuntur ergo medicorum consilia frequentissime de eo, quod singulare est; nonnunquam tamen de eo, quod est commune, ab illis deliberandum. Itaque quærenti mihi quonam exemplo in hac re vti possem, nullum est visum aptius, accommodatiusque ipsa pleuritide; tum quod frequentissimus sit, & insignis hic affectus, tum quod multas differentias, causas, & symptomata obtinet; prædicendique rationem difficilem ostendit, & denique plurima postulat præsidia. Ex quarum rerum explicatione attingere poterimus omnia capita superius posita. Sic enim Hippocrates in libro de Ratione uictus eum sibi potissimum proponit affectum, in quo omnium acutorum morborum uictum, curationemque doceat. Sic Galeus in libro de Constitutione artis, inter omnes morbos pleuritidem pro exemplo sumit, in quo monstret, quonam pacto morbi, & pars affecta cognosci, & curari possint. Hunc ergo affectum nobis proponamus; atque ita exordietur oratio. *Quoniam* huc conuenimus, ut pleuritidem curemus, nec id facere licet, nisi prius intelligatur illius natura, differentia, causæ, & symptomata. Ideo de his à nobis agendum erit. Et quia ea dignoscere non datur, nisi per sua signa, propterea de his quoque dicemus. Nam in consultationibus huiusmodi signa propriam tractationem obtinent. Præterea quum medicus desperatos affectus abigere haudquaquam aggrediatur, varieturque in salutaribus medendi ratio, ob ea, quæ futura sunt in singulis malis; ideo prædicemus quid sit futurum. Quod si sperabimus hominem iuari posse nostris præsidijs, tandem inuestigabimus quæ, & quot sint à nobis præstanda, quaque ratione singula auxilia exerceri poterunt. *Ac vt à primo exordiamur*, quod ad essentiam pertinet. Quum pleuritis sit aliquid præter naturam, sint autem omnia huiusmodi vel morbi, vel symptomata, vel causæ morborum, dico pleuritidem causam morbi esse: siquidem inflammatio est, quæ quum tumor sit præter naturam, vitiat structuram partis. Vitium autem ipsius structuræ, non autem id quod illud committit morbus est. Non tamen impedio si quis morbum vocare velit Galeni autoritate,

Explan.

*Pleuritis Sym.
ploma.*

ritate,